

275
de Verdobio (2), & de Galzana, quæ est in territorio de Bellomonte, & de tercia parte decimæ, & juris decimationis in territorio Carentini diœcesis Aquensis, ut constat de his publico instrumento confecto manu Opizzonis Ferrarii de Montemorixio Notarii publici anno MCCLII, indictione IX., X. maii. Prædecessores DD. Jacobi Malecalciati, & Conradi Thedixii de Montebartio, a quibus ipsi Jacob, & Conradus per paternam lineam descendunt, & considerans idem Dominus Episcopus antecessores, & majores prædictorum Ruffini, Henrici, & Oberti in feudum ipsius decimæ, & jus percipiendi easdem continue ab Aquensi Ecclesia per longissima tempora tenuisse in feudum a prædecessoribus ipsius D. Orthonis Aquensis Episcopi nomine suo, & vice, ac nomine Episcopalis mensæ Aquensis, & nomine successorum, & pro eis dedit, & concessit, dat, & concedit jure, & causa renovationis antecessorum, & investituræ prædictorum jurium, & rerum feudatarum in feudum, & pro feudo prædictis Jacobo Malecalciato, & Conrado Tedixio de Montebartio recipientes pro se, & suis heredibus masculis tantum legitime descendentibus ab eisdem decimas, & jura percipiendi, petendi, exigendi, & colligendi decimas prædictorum locorum, & terrarum ex fructibus proventuris ex illis a quibuscumque universitatibus, & personis expresse omnes concessionem, & investituras factas per suos prædecessores Episcopos catholicos inter ipsos heredes de Malecalciatis, & de Thedixiis, ipsorumque heredes ex certa scientia renovans, approbans, & confirmans, ipsosque Jacobum, & Conradum recipientes pro se, & heredibus suis, ut dictum est, de ipsis decimis, & juribus percipiendi, & exigendi easdem, & de ipso feudo cum suo annulo investivit dans, & concedens ex nunc ipsis licentiam intrandi, & retinendi possessiones jurium prædictorum, promittens eisdem supra dicta omnia perpetuo rata, & firma habere, reservans scilicet dictæ mensæ Episcopali libram unam piperis per ipsos, ipsorumque heredum annis singulis circa Nativitatem Domini in signum domini perfolvendo, ipsis Jacobo, & Conrado hæc volentibus, & ad ejus solutionem se, suosque heredes pro prædictis obligantibus solemniter, qui prædicti Jacobus, & Conradus pro se, suisque heredibus, ibidem ipsi Domino Episcopo recipienti pro se, suisque successoribus de fidelitate servanda tamquam universali vero Domino Ecclesiæ, & illis præstiterunt solemniter juramentum &c.

(1) In membrana littera decussata erat, sicuti in alia voce Galvazzana. Numquid erit Gajan regio in agro Montisbarutii? (2) Jacet in territorio Montisbarutii vicum eadem fere denominatione.

Diploma Henrici VII. Regis Rom. monasterio de Tilieto.

272

M C C C X I.

Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Universis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentem litteras inspecturis gratiam suam, & omne donum. Accedens ad nostræ majestatis præsentiam honorabilis, & religiosus vir . . .

Abbas conventus monasterii Tilieti ordinis Cisterciensis Aquensis diœcesis nobis humiliter supplicavit, quatenus ipsi monasterio suo privilegium infra scriptum innovare, & confirmare de benignitate Regia dignaremur, cujus privilegii tenor talis est. *Hic refert diploma Ottonis IV. anni MCCIX.* Devotis igitur supplicationibus præfati Abbatis, & conventus favorabiliter inclinati prædictum privilegium, & omnia in eo contenta, prout rite, & provide sunt concessa, innovamus, approbamus, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, adjicientes insuper de gratia speciali, quod coloni, seu massarii, qui possessiones ipsius monasterii nunc colunt, vel in posterum colent, non teneantur, nec cogi possint per Principes, Marchiones, Barones, Vicarios, Capitaneos, Potestates, Consules, & Rectores alios quoscumque civitatis castrorum, burgorum, seu villarum quocumque nomine censeantur ad fodra talias collectas, seu exactiones aliquas quovis nomine nuncupentur aliquatenus persolvendas, nec ad aliquas servitutes angarias, seu functiones publicas, reales, seu mixtas modo aliquo solvendas sine nostro speciali beneplacito, & mandato: & nihilominus concedimus, & permittimus, quod quilibet fideles Christi possint eidem monasterio legare in ultima voluntate de bonis suis mobilibus, & immobilibus, exceptis bonis feudalibus Imperii, prout eis ipsorum conscientia suadebit, non obstantibus aliquibus statutis, aut consuetudinibus in contrarium editis per comunia civitatum, villarum, castrorum, & burgorum, salvo jure nostro, & Imperii in omnibus supradictis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ innovationis, approbationis, confirmationis, & concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire, quod qui fecerit prædictam pœnam, & nostram gravissimam indignationem se noverit incurrisse in cujus innovationis, approbationis, confirmationis, & concessionis signo præsentem litteras scribi, & majestatis nostræ sigillo jussimus communiti. Datum Mediolani XV. calend. februarii, anni Domini MCCCXI. regni vero nostri anno III.

Litteræ ejusdem Mathæo Vicecom. pro reducendis in urbem Alexandrinis.

M C C C X I.

273

Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus nobili viro Matheo Vicecomiti Vicario nostro dilecto Mediolani gratiam nostram, & omne bonum. Alexandria civitati procurante auctore discordiæ jam gravibus exasperatæ injuriis, & dolorosis intestinis affictæ puncturis libenter, ut ad pacis statum tranquillum, & concordia reducat, intendimus, & ut in obedientia nostra consistat, apponimus per nos, & alios sollicitudinis nostræ partes. Sane in fidelitate, & industria tua plenam fiduciam obtinentes, & affectantes extrinsecos ad propriam, & avitam patriam, & obedientiam nostram reduci volumus, & fidelitati tuæ committimus per præsentem, quatenus per viam pacis, & concordia ad reducendam intrinsecus Alexandriam ad propria, & ad nostram obedientiam civitatem